



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentarii Tres in Universam Aristotelis Philosophiam

Commentarius Secundus In Octo Libros Physicorum Aristotelis

Crespin, François

Bruxellæ, 1652

Disputatio VIII. De Creatione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95369)

suum odii quod poneretur, vel ad hunc amorem qui poneretur, sic nempe ut Deus obtulisse dicatur concursus suum ad hoc numero odium tantum, vel ad hunc numero amorem tantum; sed neutrum dici potest, ergo, &c. non 1^{um} quia sic magis esset author peccati, quam ipsa creatura; nam creatura non aliter est author peccati, quam quia se ad unum individuum, quod potest ponere, absolute determinat: non etiam 2^{um} 1^o. quia sic indifferentia Dei concursus sub illa distinctione deberet ad alteram partem disjunctionis per hanc creaturæ determinationem in individuo determinari; de qua quero, an Deus ad eam iterum sub disjunctione concurrat, nec ne? si 1^{um} sequitur processus in infinitum: si 2^{um} habemus intentum, & idem primò dicendum erat. 2^o. vel hæc creaturæ determinatio, est independens ab omni concursu Dei ad unum absolute determinato; vel dependens? si 1^{um} est independens à Deo concurrente, ac proinde à creatura ut à se operante, & consequenter à creatura ut à prima causa quæ causa, ex quo sequitur creaturam esse à se; quia illud est à se, quod à se operatur, ut Dub. 3^o. vidimus: si 2^{um} habemus iterum intentum. 3^o. da Petrum suadere Paulo odium Dei hoc, sub hac disjunctione, *odi Deum hoc odio*, vel *ama Deum hoc amore*: tunc peto, an si Paulus hoc odium ponat præ hoc amore, & Petrus illud præ amore ponendum viderit, uti videt Deus; Petrus non sit censendus causa moralis & particeps hujus peccati odii Pauli? negari non potest, quia quod simul ad hunc

amoris suadeat non magis impedit ne hunc actum odii suadeat, quam si furando, Deo benediceret, benedictio impediret furtum; nec magis istius odii suasio excusaretur à peccato propter adjunctam hujus amoris suasionem, quam hoc furtum excusaretur à peccato propter adjunctam Deo benedictionem: igitur à fortiori Deus determinando creaturam ad hoc sui odium sub disjunctione hac *odi me hoc odio*, vel *ama me hoc amore* (licet cum indifferentia ad utriusque omissionem, quæ etiam in allato casu reperitur) si creatura hoc odium Dei poneret, Deus esset causa moralis & particeps istius odii: à fortiori, inquam, quia Petrus esset causa moralis tantum istius odii, Deus verò causa Physica simul & moralis, ut consideranti patebit, ergo, &c.

CXL. Neque obrudi potest, quod nulla sit necessitas istius suasionis in Petro, sed ipsi sit omnino libera, ac ideo peccatum; è contra verò quod sit necessitas istius determinationis à Deo tanquam causâ universali, tanquam causâ primâ, &c. quia satis contrarium patet, tum ex præsupposito ad Resolutionem, tum ex probationibus pro prima parte. Vnde

CXLI. Colliges illos, qui negant præmotiones Physicas, & docent Deum determinare ad individuum, ut PP. Societatis communissimè, magnas, imò fortè majores difficultates pati, quam illi, qui præmotiones Physicas ex se ad unum absolute determinantes, agnoscunt, quod non parum addit autoritatis huic eorū sententiæ, licet nobis fallæ.

DISPUTATIO OCTAVA.

De Creatione.

DUBIUM I.

Quid sit, an possibilis, & lumine natura cognoscibilis.

RESOLUTIO I.

I. **D**ico creatio latè sumpta, idem est quod quælibet productio cujuslibet rei, quæ non sit Deus; unde omnis res, quæ non est Deus, dicitur creata, seu creatura, & Deus, Cæli & terræ Creator: strictè verò juxta Divum Thomam prima parte quæstione 45. art. 1^o. quem omnes Theologi & Philosophi sequuntur, est productio rei ex nihilo, tam sui, quam subjecti, sive est productio rei independentè ab omni causâ materiali, ex quo habesly ex nihilo, positum in definitione, sumi negativè, ut idem sit ac ex non se, etiam partialiter, ut à creatione excludas filium & Spiritum S. in divinis, qui sunt ex præsupposita sua essentia: item hominem qui partialiter est ex materia sua, & ex non subjecto, puta sustentationis.

RESOLUTIO II.

II. **D**ico 2^o. creatio est possibilis: ita omnes Scholastici fideles contra Aristotelem, 10. Phys. textu 51. ad 60^{um}; Platon. & pleròsq; hæreticos juxta hoc ipsorum axioma, ex nihilo nihil fit.

III. Probatur, quia, vel in Angelis, anima rationali & materia prima (si subsistentia non sit basis) datur de facto, nec est cur implicet, attendendo ad summam Dei potentiam; vel sunt à se: atqui hoc ultimum dici non potest, quia a seitas est Deo propria, ergo primum dicendum est.

IV. Confirmatur ex Scriptura Geneleos 10. In

principio creavit Deus Cælum & terram: quomodo creavit? audi Spiritus sancti expositionem: intelligas, quia ex nihilo fecit illa Deus, & hominum genus. Machab. 2^o. cap. 7^o. unde non video quomodo è recentioribus Renat. Descartes 1^a. p. Phys. n. 75. dicere potuit axioma hoc ex nihilo nihil sit esse æternæ, id est necessariæ infallibilis, &c. veritatis, & ideo consequenter creationem esse impossibilem.

V. Dices omni potentia activæ correspondet passiva: sed potentia passiva est subjectum, ergo omne quod fit, fit ex subjecto, sive ex potentia passiva: Prob. major, quia omni potentia passivæ correspondet activa, ergo, & è contra, omni activæ passiva.

VI. Respondeo distinguendo minorem, sed potentia passiva correspondens omni potentia activæ est subjectum, nego minorem; est rei possibilitas, concedo minorem; verum hinc non sequitur omne quod fit, fieri ex subjecto; sed ex nihilo quod fuit in statu possibili, fieri aliquid, in statu reali.

RESOLUTIO III.

VII. **D**ico 3^o. non videtur Creatio actuata esse solo lumine naturali, certò agnoscibilis, hoc est citra fidem & revelationem, secundum quam credimus mundum à Deo in tempore conditum, In principio creavit Deus Cælum & terram, Gen. 1^o. omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, Joannis 1^o. & Nicænum definivit, Deum, factorem Cæli & terre, visibilibus & invisibilibus, &c.

VIII. Probatur 1^o. quia non videtur ipse Deus esse solo lumine naturali certò cognoscibilis, ut probabimus in Metaphysica, ergo multò minus creatio, quæ secundum sanctos Patres est actio propria Dei, & ita propria secundum omnes Phi-

Iosophos & Theologos, ut nulli creaturæ tanquam causæ principali communicari possit, quod nos examinabimus infra, ergo, &c.

IX. Probatur 2^o. nulla ratio convincit mundum esse ab alio, & non à se, esse in tempore, & non ab æterno secundum molem aliquam rudem & informem, quod videntur sensisse Aristoteles & plures antiqui, ut notat Tertull. lib. contra Hermog. c. 1^o. Epiph. hæres. 7. Laët. de origine; sed hoc dato solo lumine naturali creatio non est certò cognoscibilis, ergo, &c. major patebit solutione argumentorum, quia ista moles non erit creata; & quicquid productum erit, mediata vel immediata dependenter ab ista mole tanquam subjecto & causa materiali productum erit, ac proinde per generationem, ergo, &c.

X. Objicies, mundus est conditus à Deo secundum materiam primam; sed non per generationem, ergo per creationem, ergo, &c. Probatur major, in qua sola difficultas, quia materia 1^a. utpote imperfectissima, non potest esse improducta & à se; 1^o. quia improductio & aseitatis est maxima perfectio & cæterarum omnium origo; nam omnis limitatio est à causa efficiente, quam non haberet: 2^o. quia alioqui esset infinite magna, vel finite tantum: non primum; quia sic non posset à Deo magis extendi, quod est absurdum: non etiam secundum; quia non est ratio cur sit potius tantæ finitæ magnitudinis, quam tantæ.

XI. Resp. negando majorem stando in solo lumine naturali, quia, ut dixi, secundum solum lumē naturale præcisè non videtur certò cognosci, Deum realiter existere, & consequenter multò minus mundum esse à Deo conditum secundum materiam primam. Ad probationem majoris, Resp. aseitatem non plus addere perfectionis enti, alioqui ab alio, quam perfectas addat enti, alioqui in alio; perfectas verò non addit infinitam perfectionem enti, alioqui in alio, & materiæ primæ, quæ secundum te est imperfectissima, convenire potest, ergo nec aseitatis addit infinitam perfectionem enti, alioqui ab alio, & similiter materiæ primæ convenire potest: unde ens à se juxta lumen naturale per aseitatem præcisè, non magis distinguitur ab ente ab alio, quam ens per se per perfectitatem præcisè distinguitur ab ente in alio, scilicet uno gradu perfectionis: ac proinde improductio & aseitatis, non est maxima perfectio & cæterarum origo.

XII. Quod verò additur omnem limitationem esse à causa efficiente: aperte falsum est; quia nequidem Deus ex principis fidei agnitus facere potest creaturam perfectiorem, aut imperfectiorem, essentialiter, quam sit ex natura sua; quia rerum essentialitatis, etiam per ordinem ad Deum sunt indivisibiles & immutabiles; quamobrem à natura rei est omnis limitatio essentialis, & non à causa efficiente, quæ naturam rei producere debet secundum quod in se est, talis, vel talis perfectionis; alioqui talem naturam humanam v.g. non produceret, sed aliam omnino brutalem v.g. imò alioqui, quod nullus admisit, inde sequitur Filium in divinis productum à Patre habere posse esse limitatum. Sic patet ad primam probationem hujus majoris: ad secundam verò, Respondeo materiam esse finite vel infinite magnam, prout experientia docuerit; per eam enim de natura cujusque discernimus, uti & de quantitate & aliis accidentibus.

XIII. Instabis, si materia fuerit à se ab æterno, dabitur processus in infinitum in generationibus ab æterno hucusque; sed est absurdus processus in

infinitum in causis subordinatis, ergo, &c. Deinde, si materia esset infinite magna (saltem in sententia communi negante materiam posse naturaliter existere sine omni forma) dabitur corpus infinitum, contra Aristotelem cap. 1^o. ergo, &c.

XIV. Respondeo negando minorem; quia ille processus est omnino necessarius, dato quòd mundus fuerit ab æterno; unde prius probandum sistendo in solo lumine naturali mundum non fuisse ab æterno; deinde processus in infinitum in causis subordinatis, non propter aliam rationem potest esse absurdus, quam quia, hoc admisso, solo lumine naturali venire non potest in cognitionem certam causæ primæ & Dei: verum hæc ratio, mihi hic est valde infirma; tum quia docebitur in Metaphysica solo lumine naturali non videri posse venire in certam Dei cognitionem; tum quia, etsi veniret in cognitionem certam causæ primæ, non tam ideo veniret in cognitionem Dei, quia Deus plus dicit, quam esse causam primam, quæ tantum, cessante illo processu, cognosci potest. Quantum ad Aristot. attinet, dum in solo lumine naturali sistimus, etiam ab ejus autoritate præscindimus; imò sicut errare potuit negando mundum creati potuisse, potuit & dicendo corpus infinitum dari non posse.

RESOLUTIO IV.

XV. **D**ico 4^o. creatio actuata est solo lumine naturali certò cognoscibilis.

XVI. Probatur: quia sicut per te (argumentum enim est ad hominem, contra Resolutionem præcedentem) non est solo lumine naturali certò cognoscibile creationem esse actuatam; ita etiam solo lumine naturali non est certò cognoscibile creationem non esse actuatam; ac proinde sistendo in solo lumine naturali, ut minus dubium est, an creatio sit actuata, an non sit actuata: atqui in dubiis judicium commune præferendum est privato (præsertim ubi tot rationes probabiliter suadent hoc esse falsum uti hic) nisi aliunde aliquid obstat; sicut in dubiis bonum commune est præferendum bono privato, &c. ergo creatio actuata est solo lumine naturali certò cognoscibilis: probatur consequentia, quia nostra ratio est solius luminis naturalis, & judicium commune ferè omnium, præterquam Aristotelis, est, quòd creatio actuata sit talis.

DVBIVM II.

An Creatio sit quidpiam realiter distinctum à creatæ & re creatæ.

RESOLUTIO.

XVII. **D**ico, tam creatio rerum, quæ ex natura sua exigunt creari, quam rerum, quæ ex natura sua non exigunt creari, est quidpiam realiter distinctum ab illis. Ita sanctus Thomas 1^a. 2^a. quæst. 45. art. 5^o. & Theologi ac Philosophi communiter contra Nominales & fortè Scotum in secundum dist. 1. quæst. 2. paragraph. ad questionem istam. & Vasquez 1. parte disp. 73. cap. 3.

XVIII. Probatur, quia omnes res illæ sunt indifferentes supernaturaliter ad educi vel creari, ad creari à solo Deo, vel Deo simul & creaturæ, sed propter similem indifferentiam agnoscunt Philosophi nobiscum supra educationem realiter distinctam ab educente & formâ educatâ, ergo, &c. major pro secunda parte patebit ex dubio sequenti; probatur pro prima parte ex lib. 1^o. Disp. 3. Dub. 5.

XIX. Confirmatur, si creatio rerum, quæ exigunt ex natura sua creari, nihil esset realiter distinctum

atum à create & re creata, ideo esset, quia nec possent res illæ produci per educationem, nec ab alio creari, quàm à solo Deo; sed hoc, etiam gratis duobus istis datis, non sufficit, ergo, &c. major sumitur ex Arriaga, qui hinc docet tales res non creari per creationem realiter distinctam: Probatur minor, quia ad creari (ut patet) præter non posse produci per educationem, nec ab alio posse creari quàm à solo Deo, requiritur poni extra causas determinatè, per unam potius quàm per duas creationes Dei totales, vel potius, per unam, quàm per alteram ex creationibus his duabus & aliis possibilibus, ad quas creationes terminandas, res, quæ nec potest per educationem produci, nec ab alio quàm solo Deo creari, potest habere indifferentiam (ut consideranti patebit) illa autem tolli non potest per aliud, quàm per creationem unam, vel plures Dei totales ab ea re realiter distinctas, ergo, &c.

xxi. Nec respondere debes rem, quæ nec potest produci per educationem, nec ab alio creari, quàm à solo Deo, non habere indifferentiam, ut unà creatione totali, vel duabus Dei totalibus creetur; sed debere unà creatione totali, non secus ac ipsa creatio totalis, cui identificatur, creari: id, inquam, respondere non potes, quia alius est conceptus formalis creationis, alius conceptus formalis rei; nam creatio ex conceptu suo formali est ultimò determinata ad esse creationem unam; res verò, quæ nec per educationem produci potest, nec ab alio, quàm solo Deo, creari, non est ultimò determinata ad esse creationem unam; quia sine processu in infinitum stat, quòd nec per educationem produci possit, nec ab alio quàm solo Deo creari, & sit indifferentis ad terminandam unam, vel duas Dei creationes, ut consideranti patebit. Vnde

xxi. Colliges contra P. Comptonum, Physic. disp. 41. sect. 3. & alios, dari posse rem, quæ nec per educationem produci potest, nec ab alio, quàm solo Deo creari; quæ tamen creari debeat per creationem realiter à se distinctam; licet detur creatura, quæ nec per educationem produci posset, nec ab alio, quàm solo Deo creari *ut quo*, & tamen creari non debeat per creationem realiter à se distinctam; quia ista sunt longè diversa.

xxii. Objicies 1º. omnis creatura à Deo essentialiter pendet, & non accidentaliter, ergo per essentiam, & non medio accidente creationis.

xxiii. Respondeo distinguendo antecedens, omnis creatura à Deo essentialiter id est indispensabiliter (etiam per Deum) pendet, concedo antecedens; id est immediatè per essentiam, nego antecedens; stat enim indispensabiliter pendere, & pendere medià dependentià realiter distinctà, sive illa proveniat ex necessario Dei in omnes creaturas dominio, sive ex limitatione ipsius creaturæ.

xxiv. Objicies 2º. res quæ exigunt creari, ut Angelus, anima rationalis, &c. seipsis habent effectum formalem creationis, videlicet esse independentes à subjecto, ergo non creantur creatione realiter distinctà; probatur consequentia, quia illa esset superflua.

xxv. Respondeo distinguendo antecedens, res, &c. seipsis habent effectum formalem creationis inadæquatum, & pro ea parte, quæ est negativus, videlicet independentiam à subjecto, concedo antecedens; adæquatum & pro ea parte, quæ effectus ille est positivus, videlicet positio extra causas, communicatio existentia, &c. nego antecedens:

illum enim debet necessariò habere ab actione positiva; nam illius effectus adæquatus, non est facere independentem à subjecto, sed productum independentem à subjecto.

xxvi. Objicies 3º. vel illa actio realiter distincta à re exigente creari, esset accidens, vel substantia? non secundum; quia est de Prædicamento actionis, & non substantiæ; item est extra conceptum essentialem substantiæ, ut patet à fortiori ex dictis de unione inter extrema substantialia: non etiam primum, quia cum accidens debeat esse in subjecto, creatio deberet esse in termino suo tanquam subjecto, & sic daretur naturaliter mutua dependentia & prioritas, in genere causæ materialis & efficientis; nam terminus esset prior creatione, utpote illius causæ materialis, & proinde ab ipso pendens: & creatio esset prior suo termino, utpote ipsius causalitatis efficiens, & proinde ab ipsa pendens, ergo, &c.

xxvii. Respondeo concedendo antecedens pro prima parte, videlicet, quòd esset accidens; & ad ejus probationem distinguo, accidens debet esse in subjecto inhætionis & tanquam causa materiali, nego antecedens: adhætionis & tanquam termino intrinseco, ut patet ex dictis de unione, concedo antecedens: sicut enim proprium est creationis producere terminum suum extra subjectum inhætionis, sive extra causam materialem; ita proprium est illius se ponere extra subjectum inhætionis & causam materialem; nam modus existendi, quem habet & dat creatio, est esse extra causam materialem, ut consideranti patebit, & in eo distinguitur ab educatione; habet autem formaliter & *ut quo*, quod aliis dat materialiter & *ut quod*.

xxviii. Nec dicas materiam primam esse extra omne subjectum, etiam adhætionis; non propterea tamen ejus creationem esse extra omne subjectum: contra enim est, quòd esse extra omne subjectum, etiam adhætionis, non habeatur à creatione præcisè; quia res potest esse creata, & esse in subjecto adhætionis, ut patet in anima rationali, sed à creatione & negatione talis subjecti, quàm creatio annexam non habet, uti materia.

D V B I V M I I I.

An virtus creandi creaturæ ut causæ principalis connaturaliter competere possit.

Ante Resolutionem
xxix. Suppono 1º. inter Catholicos, contra Manichæos & Albigenes, item Avicen. (qui putavit Angelos superiores creasse inferiores, & inferiores res corporeas) certum esse Deum creasse quidquid de factò creatum est, ut patet, tum ex Scriptura Genes. 1º. *in principio creavit Deus Cælum & terram.* & Eccl. 1º. *unus est altissimus Creator omnipotens.* tum ex PP. Aug. lib. de Civit. Dei c. 24º. & tertio de Trinit. c. 8º. *Nec boni, nec Angeli mali, possunt esse creatores alicujus rei,* &c. 15. lib. 9. de Genes. ad litteram, *create naturam nullus Angelus potest, neque se ipsum.* item ex Athanas. contra Arianos serm. 3º. *administrare creaturam, & servorum est, condere autem & creare solium Dei, ejusque Verbi & sapientiæ.* Denique ex nostro Cyril. Alex. lib. 2º. contra Julian. ubi dicit *producere ut Creatorem,* &c. *propria sunt solius, & omnium summe substantiæ.* Hinc

xxx. Suppono 2º. nulli creaturæ de factò concessam esse creandi connaturaliter virtutem; quia cum sit Deo propria, sine sufficienti fundamento

cin-
fena-
fina-
ille
oun-
n fi-
uisse
ausis
oreff-
ò lu-
onem
s, mi-
Me-
le ve-
veni-
tamg
s plus
s, cel-
ad A-
imus,
sicut
le, po-
fle,
ena-
enim
eden-
scibi-
amine
n non
amine
tuata,
mmu-
tot ra-
ti hic)
onum
ergo
cog-
a ratio
immune
quòd
etiam
e natu-
m, quæ
m rea-
tis 1º. p-
i com-
i in se-
ssionem
unt in-
ari, ad
rà, sed
Philo-
e distin-
e. major
s proba-
ub. s-
ne ex-
e distin-
ctum

& autoritate asseri non debet esse creaturæ communicatam; unde solum esse potest dubium, an de possibili concedi non possit; v. g. an Deus non posset creare aliquid agens, quod connaturaliter posset creare, sicut pleraque possunt naturaliter generare.

xxxI. Suppono 30. ex RR. PP. Vasquez 1. p. Disp. 77. c. 5. n. 18. Raynaudo Disp. 83. Theologiæ moralis q. 5. art. 20. num. 300. Erize tom. 40. d. 40. n. 82. Fafol. 1. p. q. 7. a. 4. d. 12. n. 12. & q. 12. Mol. 1. p. q. 12. d. 1. concl. 4. Valentia tom. 4. d. 1. q. 3. p. 3. §. *ideo plenis*. Tanner. 1. p. d. 2. q. 11. d. 4. num. 4. Ripald. 1. 10. de ente supern. d. 11. f. 3. num. 12. Granado tr. de Potentia Dei d. 9. n. 14. Arriaga. d. 11. Phys. f. 4. Oviedo cont. 9. Physicæ p. 7. §. 2. n. 7. & Comptono Phys. Disp. 27. sect. 1. qui illos & alios citat sufficere ut dicamus illud esse per Deum possibile, in quo contradictionem & repugnantiam, post debitum examen, non invenimus.

RESOLUTIO I.

xxxII. **D**ico 1. attenda præcisè autoritate sanctorum Patrum, Theologorum, ac Philosophorum, vis creandi non est connaturaliter communicabilis creaturæ ut causæ principali, sic nempe ut possibilis dicatur creatura aliqua, cui connaturalis sit vis creandi, uti igni vis calefaciendi.

xxxIII. Probatur, quia illa est ferè omnium sententia, in eo fundata, 10. quod supponat virtutem connaturaliter creandi per modum causæ principalis involvere aliquam omnipotentiam, ac proinde ita esse Deo propriam, ut nulli creaturæ, etiam possibili, modo dicto communicari possit: 20. in eo, quod dicant verbum esse Deum, quia potest creare: quia tamen 1a ratio non est efficax, & pro 2a melius dicitur Verbum esse Deum, quia virtus creandi illi sicut Deo Patri tribuitur, puta sine limitatione: autoritatem hinc veneramus, rationes autem sequenti Resolutione examinamus.

RESOLUTIO II.

xxxIV. **D**ico 20. attenda præcisè ratione naturali, vis creandi est connaturaliter communicabilis creaturæ ut causæ principali. est Durandi in 2um dist. 1. q. 4. Arriagæ Phys. dist. 11. sect. 5. contra alios communiter excepto Eximio P. nostro Bachone in 1um sent. dist. 43. ubi ad stipularur, quidam tamen de suo sensu gloriantes, Dei potentiam sub mensura coarctare conati sunt: cum enim dicunt, hucusque potest Deus, & non amplius, quid hoc est aliud, quam ejus potentiam, quæ infinita est, concludere, & restringere ad mensuram, &c.

xxxv. Probatur 10. sicut Deus qui dat esse, dare potest operari, ita Deus qui dat tali modo esse, videlicet ex nihilo sui & subjecti, dare potest tali modo operari, videlicet ex nihilo effectus & subjecti, ergo, &c.

xxxvi. Probatur sequela antecedentis, quia non aliter inter se differunt esse ex nihilo sui & subjecti, & operari ex nihilo effectus & subjecti, quam esse & operari, nam ex parte modi nulla est distinctio, ut patet, ergo, &c.

xxxvii. Nec inferas: ergo sicut esse convenit operari naturaliter; ita esse ex nihilo sui & subjecti convenit operari naturaliter ex nihilo effectus & subjecti; quia id quidem negamus de esse rei, quæ existit vel existit, propter autoritatem Scripturæ &

sanctorum Patrum supra; concedimus tamen de esse rei alicujus possibilis; alicujus (inquam) quia nequidem omni rei, cui convenit esse, convenit operari; ac proinde nec omnes res possibilis, cui convenit esse ex nihilo sui & subjecti, conveniet operari ex nihilo effectus & subjecti.

xxxviii. Probatur 20. Creationi, quæ est creatura, de facto convenit esse ex nihilo sui & subjecti, & operari, saltem *ut quo*, ex nihilo effectus & subjecti, ergo & alteri creaturæ possibili convenire potest esse ex nihilo sui & subjecti, & operari *ut quod* ex nihilo effectus & subjecti; probatur consequentia, quia operari *ut quod* & *ut quo* non nisi finitè differunt, ut patet in calore & calefactione.

xxxix. Probatur 30. Creatio causæ principalis præsupponit potentiam, vel finitam in causa principali, vel infinitam si primum habemus intentum, quia (ut fatentur) quælibet potentia finita, connaturaliter alicui creaturæ convenire potest: non secundum, 10. quia effectus finitus & a fortiori creatio effectus finiti, sunt finiti; finitum verò non præsupponit potentiam infinitam: 20. absente subjecto, omnis productio est creatio; atqui causalitas materialis sive præsentia passiva subjecti, aut necessitas ejus, non se tenet ex parte agentis, sed ex parte effectus exigentis in illo produci; ergo omnis actio agentis ex parte agentis est creatio; & per consequens quodlibet agens ex parte sua haberet vires ad creandum, si effectus ex parte sua non exigerent produci in subjecto; ergo creatio non præsupponit potentiam infinitam. Ex his

xl. Confirmatur 10. causalitas materialis, sive præsentia passiva subjecti, non auget vires agentis creati principalis; ergo hoc quantum est ex parte sua, agere potest illo absente: sed si ageret absente subjecto, crearet per modum causæ principalis creaturæ, dum si esset aliunde æquè perfectum ac effectus, ergo, &c. probatur antecedens, quia ut lib. 10. Phys. Disp. 30. dub. 40. vidimus, subjectum nullum habet influxum realem à se egredientem in effectum, necessitasque subjecti tenet se ex parte effectus, non ex parte agentis, ut statim diximus: unde si constaret, quod effectus connaturalis alicujus creaturæ non exigeret produci in subjecto, constaret creaturam creare posse connaturaliter, ergo, &c.

xli. Confirmatur 20. ad creationem, &c. ut summum requiri potest omnipotentia: sed omnipotentia creata & cum dependentia à Deo, videtur communicari posse connaturaliter creaturæ, ergo, &c. Probatur minor (quæ fortè alicui videbitur exotica, sed immeritò, si attendat nos rationem naturalem hinc præcisè spectare, & eam secundum autoritatem omnino improbare) quia omne attributum & perfectio Dei, creaturæ connaturaliter communicari potest, excepta independentià limitationis in aliquo genere, quam Deus in omni genere includit, & per illam præcisè distinguitur ab omni creatura existente & possibili, ut consideranti patebit, ergo, &c. hoc assumptum ex professo probatur Disp. sequenti Dub. 50.

xlii. Confirmatur 30. ex non repugnantia, ut solutione argumentorum patebit, in qua sola fundat hanc sententiam Arriaga, &c.

xliii. Mirum quantum contra hanc Confirmationem Adversarii urgeant sequens argumentum: etiam in opposito non apparet repugnantia, ergo oppositum sit: in similibus autem dubiis facti (inquiunt) est suspendendum iudicium, ne temere pro utraque parte judi-

judicetur. Sed frustra urgent; quia licet concedam non statim non esse res repugnantiam à parte rei (maximè si captioni nostræ non satis proportionata sit, uti est peccatum originale de quo Augustinus contra Iulianum disputans, *Quid autem, ait, horum sit verum, lubentius disco, quàm dico, ne videar docere, quod nescio*), hoc ipso, quòd intellectui (præsertim rudis rustici) non appareat: item licet consequenter concedam rusticum rudem (de quo Suarez, dum Metaph. Disp. 30. sect. 17. n. 26. ait, ubi in huiusmodi rebus (puta fidei) impossibilitas, se ejus menti ingerit, meritò suspendit iudicium) imprudenter moveri ad iudicandum repugnantiam non esse, ex eo quòd illi non appareat, præsertim si viri docti & oculatiores, quòd sit, iudicent: nego tamen, & id ab omnibus negandum puto, virum doctum improbabiler, & imprudenter iudicaturum, si discussis, pro parte opposita, Theologorum & Philosophorum argumentis, & probabiliter solutis, iudicet (quod hic facit doctissimus P. Arriaga, & nos post illum) & inferat id ipsum fieri, quod sententia opposita renuit; & revera alioqui vix video quis esse posset prudens probabilium arbiter & iudex. Vnde R. P. Suarez (præter supra citatos) lib. 1.º de Angelis cap. 1.º n. 3. *contentus ero brevi Responsione fundamentorum; quia eo ipso quòd ex parte rei non ostenditur, neque ostendi potest implicancia, probatur id fieri posse à Deo: & Vasquez 1.º p. Disp. 77. cont. 5. n. 18. hoc autem manifestum erit, si solverimus rationes, quæ huic sententiæ solent opponi.* Profectò quis usum Scholæ novit, & negat in ea usum horum, aut similibus argumentorum, nihil obstat, ergo ita est: nulla apparet disparitas, ergo nulla est; consequentiamq; censeri legitimum, quamdiu adferri non potest obstaculum, aut disparitas; quia responderi debet, *obstat, est disparitas, &c.* ut patet: unde ad hoc Nominalium Axioma: non sunt multiplicanda entia sine necessitate, Respondens esse necessitatem, ordinariè obligatur ad eam adferendam.

XLIV. Objicies 1.º effectus universalissimi sunt causæ universalissimæ; sed effectus per creationem, utpote ens ut ens, est universalissimus; ergo Dei causæ universalissimæ.

XLV. Resp. 1.º concessa maiore, transeat minor; nego consequentiam; nam ut summum debet esse entis dependenter à Deo omnipotentis ut patet, quod non necessariò est Deus, ut diximus, sed potest esse creatura. Vide dicta numero 39.

XLVI. Resp. 2.º negando minorem, quia per ens ut ens, vel intelligitur ens in communi & in abstracto? & hoc non; quia illud nullo modo est realiter producibile, ut patet; vel quidlibet ens particulare? & hoc etiam non; quia nec generationes sunt effectus per creationem; nec effectus per creationem sunt cujuslibet creatoris, magis quàm effectus per generationem sint cujuslibet genitoris, sicut enim hic ad certa generabilia esse potest determinatus, & non ad plura; ita ille ad certa creabilia, & non ad plura, determinatus esse potest.

XLVII. Objicies 2.º ista creatura esset corporea, vel incorporea? non corporea; quia cum haberet materiam, non posset extra illam operari: non incorporea, quia hæc debet agere mediantibus accidentibus, scilicet intellectione & volitione; accidentia autem non sunt sufficientia ad creandum, ergo, &c.

XLVIII. Resp. 1.º esse corpoream, posse tamen operari extra materiam, sive non materiale producere,

sicut substantia potest operari non substantiam, sive accidens; licet enim creatura corporea includat materiam; non tamen necessariò operatur in materia; siquidem materia non determinat illam ad opus, hoc, vel illo modo, extra se ponendum, sed tantum ad esse substantiam compositam materialem; illa autem determinatio à sola forma provenit, cum hæc sola, sit activa ad extra.

XLIX. Resp. 2.º posse etiam esse incorpoream, & operari immediatè ut principium quo per creationem, tam substantias, quàm accidentia; nam substantiæ sunt immediatè ut principia quo operativæ ad extra: si verò debeat esse intellectiva, volitiva, &c. (quod gratis dicitur) dicendum est non operari medià intellectione, volitione, &c. tanquam principis efficientibus, sed tanquam principis dirigentibus. Ex his duabus solutionibus

L. Colliges Axioma, quo fundatur sententia Scoti, videlicet *modus operandi, sequitur modum essendi*, non posse contra nos urgeri; quod etiam patet ex Angelo, qui est substantia spiritualis indivisibilis & permanens, operatur tamen accidens materiale, divisibile & successivum: unde istius Axiomatis potest esse hic sensus, *modus operandi*, id est existentiam operationis *sequitur modum essendi*, id est existentiam essentia, sive causæ à quâ egreditur.

LI. Objicies 3.º virtus creandi est infinita, ergo, &c. Probatur antecedens, quia quo magis distat terminus à subiecto, eò maiorem virtutem requirit; sed in creatione distat infinite tanquam ens à non ente, quia est ex nihilo; ergo virtus creandi est infinita.

LII. Respondeo 1.º transeat antecedens, juxta confirmationem secundam, nego consequentiam.

LIII. Resp. 2.º negando antecedens, 1.º quia, ut patet ex probatione tertiâ, non est ex parte sua maior virtute generandi; 2.º quia illius terminus est finitus, ergo ipsa non debet esse infinita, sive inter ipsum & nihil sit distantia infinita, sive non: 3.º ens à non ente non distat infinite, tum quia inter ens & non ens nihil mediat, tum quia ens tantum excedit non ens secundum suam entitatem, quæ est finita.

LIV. Objicies 4.º illa creatura esset perfectior Angelo, vel non? non primum, quia Angeli dicuntur constituere supremum ordinem creaturarum; neque etiam secundum, quia creare posset, quod Angeli non possunt, ergo, &c.

LV. Resp. fore perfectiorem, vel imperfectiorem, ut vis, perfectiorem quidem in modo operandi, & imperfectiorem in substantiâ, si velis Angelos tot partibus essentialibus ipsam excedere, ut compensent & superent perfectionem modi operandi istius creature: adde tamen posse dici etiam in substantiâ perfectiorem; quia Angeli ut summum respectu creaturarum existentium constituunt supremum ordinem, ne dixeris tamen propterea debere de facto dari, quia non omnes rerum possibilium ordines debent de facto dari, ut malè vult Suarez, & parum conformiter ad sua principia, quibus docet esse possibile corpus completum simplex, & tamen de facto non dari.

LVI. Objicies 5.º Creatio est actio causæ efficientis, quæ operari potest independenter à concursu causæ materialis, & à concursu alterius causæ efficientis; sed creatura non est causa efficiens, quæ operari potest independenter à concursu alterius causæ efficientis, videlicet Dei, ergo, &c.

Respondeo

LVII. Respondeo negando majorem, quia id ipsum est, quod queritur hic: an creatio, scilicet, sit talis actio; & talem esse, gratis (attentâ solâ ratione) fingitur; deinde creatio est actio Patris in Divinis, qui tamen ad extra operari non potest independentè à concursu Filii & Spiritus sancti causarum efficientium ab ipso distinctarum: denique, casu quo Angelus à Deo ad producendum Angelum, aut animam rationalem, assumeretur, sequitur illum, nec creatum iri, quia ejus productio non est actio causæ efficientis, quæ operari possit independentè à concursu Dei causæ efficientis: nec generatum, quia ipsius productio erit independentè à subjecto, sive causa materiali; non datur verò actio media inter generativam & creativam, quam isti Recentiores fingere debent, si consequenter loqui velint.

LVIII. Objicies 6^a. ex P. Oviedo ideo creatura non potest operari immanenter, nisi per actionem receptam in ipsa; quia operatio immanens à creaturâ procedit, ergo nec potest dari creatura, quæ operetur transeunter, nisi per operationem in subjecto extraneo receptam; quia operatio talis transiens à creatura procedit.

LIX. Respondeo negando antecedens, 1^o. quia falsum est creaturam non posse per modum principii adæquati operari immanenter per actionem receptam immanenter in alio, uti Deus nobiscum operatur actiones immanentes: 2^o. operatio immanens, non ideo in ipsa creatura operante immanenter recipitur, quia procedit à creaturâ; alioqui & transiens deberet in ipsa creatura immanenter operante recipi; sed ab eo, quod ordinariè, in ipsa creatura immanenter operante recipiatur.

LX. Objicies 7^a. non potest actio aliqua naturalis habere perfectiorem modum essendi, quàm principium adæquatum & totale à quo profluit, quod hic contingeret; quia principium illud includit, aut substantiam, aut accidentia dependentia à subjecto, ergo, &c.

LXI. Respondeo argumentum illud omnibus debere esse falsum; quia generatio semper habet simpliciorum modum essendi, quàm suum principium totale, ut patet; si hunc possit, quidni & alium: deinde actio principium suum non respicit quatenus talem modum essendi habet, sed quia ipsam principiat, quod secundum se facit, & non quatenus talem modum essendi habet concomitantem, ut consideranti patebit. Ex his

LXII. Colliges à fortiori posse creaturam de facto existentem & possibilem assumi à Deo ad creandum per modum causæ instrumentalis, sive aliquid, aut se nobilius, aut supra vires suæ activitatis materialis, producentis: est contra Thomistas, Scotistas, Vasquez, Oviedum, &c. quod enim aliqui dicunt causam instrumentalem esse virtutem subordinatam alteri ad agendum, illamque alteram causam recipere tanquam ultimum suum complementum in ordine ad operandum, falsum est; quia calor secundum omnes est instrumentum ignis in ordine ad producendum alium ignem; ignem tamen non respicit tanquam ultimum illius complementum in ordine ad producendum alium ignem; nam si abesset, adhuc alium ignem produceret, ut constat ex præmissis Disp. 6^a. de causâ efficiente creatâ dubio 2^o. adde causam instrumentalem hic non debere sumi in isto rigore, sed paulò latius, juxta illius definitionem à nobis traditam Disp. 5^a. dubio 1^o.

LXIII. Miraberis fortè, quòd rationum objectarum auctores non citarim; sed mirari defines, si attendas nos rationes istas sic secundum se præcisè considerare velle, ut ab omni autoritate præscindant; quia si autoritas attendatur, omnino dicendum putamus vim creandi per modum causæ connaturalis & principalis, creaturæ communicari non posse.

D V B I V M IV.

Quid Potentia obedientialis; & an sit in quolibet ad recipiendum & producendum quodlibet.

R E S O L U T I O I.

LXIV. **D**ico 1^o. Potentia obedientialis est intrinseca cujusque rei entitas conjuncta cum qualitate intrinsecâ indebitâ, vel concursu Dei extraordinario, ad effectum, quem aliqui non possent, producendum. Ex hac definitione, quæ in re debet esse communis.

LXV. Colliges potentiam obedientialem remotam & materialem esse ipsammet cujusque rei entitatem; proximam verò & in concreto esse cujusque rei entitatem in recto, & qualitatem intrinsecam indebitam, vel concursum Dei extraordinarium, cui conjungitur, & quem connotat in obliquo: unde potentia naturalis ab obedientiali in eo distinguitur, quòd sit completa secundum entitatem rei, cujus est potentia, vel per causas secundas complebilis independentè à concursu Dei extraordinario: obedientialis verò incompleta secundum entitatem, & non nisi complebilis dependentè à concursu Dei extraordinario, quo producit dictam qualitatem intrinsecâ, vel quo immediate cum creaturâ concurrat ad effectum indebitum.

R E S O L U T I O II.

LXVI. **D**ico 2^o. in quolibet subjecto datur potentia passiva obedientialis ad recipiendam quamlibet formam non alligatam essentialiter determinato subjecto, uti est modus v.g. videtur esse authorum pro Resolutione sequenti citandorum, & videtur mihi (inquit P. Poncius hic) *communissima contra Mastrium.*

LXVII. Probatur 1^o. quia majus obstaculum, quod adferri potest, est, quòd forma spiritualis de subjecto materiali, materialis de subjecto spirituali educi non possit; sed contrarium probarum est Physic. lib. 1^o. Disp. 3^a. dub. 5^o. ergo, &c.

LXVIII. Probatur 2^o. in humanitate datur potentia passiva obedientialis ad recipiendam unionem hypostaticam, imò, & in lapide, albedine, &c. ut ostendemus 3^a. parte & supra lib. 1^o. Disp. 4. dub. 8^o.; ergo à fortiori ad recipiendas alias formas, quæ ad esse tam nobile ac divinum, subjectum non evehunt.

LXIX. Confirmatur, potentia cujuslibet passivæ duplex est capacitas, una naturalis, supernaturalis alia: naturalis solâ experientia dignoscitur, (ut omnes fatentur:) supernaturalis autem ex non repugnantiâ extensionis ad illas & illas formas, intelligi debet, sed non repugnat dari in quolibet subjecto potentiam passivam obedientialem ad recipiendam quamlibet formam, ergo, &c. Probatur major pro 2^a. parte; in qua tantum difficultas, quia apud omnes certum est majorem esse capacitatem supernaturalem passivam, quàm naturalem; & cum illa per experientiam cognosci non possit, non est unde

unde melius cognoscatur, quàm ex non repugnantia extensionis, &c.

LXX. Objicies 10. ex subtili Doctore Scotò in quantum dist. 14. quæst. 3a. nec lapis secundum potentiam obedientialem potest recipere sapientiam, nec Angelus albedinem; nec intellectus amorem, ut alii, ergo, &c. Probabis antecedens, quia alioqui lapis esset sapiens, Angelus albus, intellectus amans, &c. sed hæc sunt absurda, ergo, &c.

LXXI. Respondeo 10. probabiliter (quidquid sit de mente Scoti) lapidem posse secundum potentiam obedientialem recipere sapientiam, Angelum albedinem, &c. sed lapidem non posse denominari sapientem à sapientia, quam recipit; & Angelum album ab albedine, quam recipit; quia forte sapientia solum potentiam, quæ agere potest sapienter denominat sapientem, & albedo solum subjectum, in quo ponitur extenso modo denominat album; nec lapis verò habet talem potentiam; nec Angelus est tale subjectum: unde dici potest concretum sapiens, album, &c. essentialiter requirere determinatū subjectum, sicut quodlibet compositum essentialiter determinatas partes essentielles requirit; ex albedine enim loco materiæ & animæ rationali, etiam secundum potentiam obedientialem, non haberetur homo.

LXXII. Respondeo 20. probabilius (licet mirabilius) negando antecedens; potest enim secundum potentiam obedientialem lapis denominari sapiens à sapientia, quam recipit; Angelus albus ab albedine, quam recipit; & intellectus amans, ab amore, quem recipit: nam, sicut si illas formas secundum potentiam naturalem reciperent, secundum potentiam naturalem denominarentur tales; ita, si illas formas secundum potentiam obedientialem recipiant, debent secundum potentiam obedientialem denominari tales: deinde verum quidem est sapientiam, attendendo ad solam potentiam naturalem, solum denominare posse sapientem, potentiam illam, quæ agere potest sapienter (& idem est de albedine respectu subjecti, in quo ponitur modo extenso); falsum verò, ut contendimus, & rationem in contrarium petimus, attendendo ad potentiam obedientialem; quia alioqui potentia obedientialis, non se extenderet ad plura, quàm naturalis; vel si ad plura se extendat, dic cur ad illa subjecta non se extendat.

Dicere autem, quòd alia subjecta sint de essentialitate istarum creaturarum, sicut materia est de essentialitate concreti hominis; nihil ad rem: quia de homine, sicut de cæteris, & è contra, Philosophandum, casu quo v.g. forma lapidis secundum potentiam obedientialem recipiat formam hominis; forma lapidis denominabitur animata animæ rationali; sicut lapis recipiens sapientiam denominaretur sapiens: non tamen forma lapidis erit homo; quia denominationes totius essentialis sunt à singulis partibus collectivè sumptis, cum sint totius, & non subjecti tantum, quæ secundum omnes sunt determinatæ, materia scilicet, forma & unio, & denominationes concretorum accidentalium à solis formis: denominantia verò sola debent esse certa & determinata; nam, sicut à sola sapientia fit sapiens, quia forma denominans; ita à sola materia, anima rationali, & unione fit homo, quia partes denominantes hominem; & hinc patet cur homo (& sic de aliis compositis essentialibus) dicat omnes partes certas & deter-

minatæ, etiam secundum potentiam obedientialem; non verò concreta ex subjecto & formâ denominante, certa & determinata subjecta.

LXXIII. Instabis ex P. Compt. Phys. Disp. 27. sect. 6. si denominationes concretorum accidentalium sint à solis formis, sic, ut formæ eorum in quocumq; subjecto sint; illud denominent naturaliter, si naturaliter in eo sint supernaturaliter, si supernaturaliter, sequitur brutum, lapidem, imò & albedinem à personalitate divinâ personam divinam & Filium Dei, à gratiâ sanctificante gratum Deo, amicum & Filium Dei adoptivum supernaturaliter dici posse: quod est perabsurdum, ergo, &c.

LXXIV. Respondeo ad instantiam, istam primò intuitu difficillimam, & quæ multos fefellit: distinguendo sequelam; sequitur brutum, lapidem, imò & albedinem à personalitate divinâ personam divinam & Filium Dei, à gratiâ sanctificante gratum Deo amicum & Filium Dei adoptivum supernaturaliter dici posse, si denominationes illæ supernaturales sint à sola formâ, concedo assumptum; neque in eo puto esse ullum absurdum; quia tunc æquivalenter erunt esse informatum personalitate divinâ, esse informatum gratiâ sanctificante, &c. quòd æquivaleret esse recipiens personalitatem divinam: esse recipiens gratiam sanctificantem, &c. quas denominationes sine absurdo admittit P. Comptonus, ibidem aiens, licet brutum esse levare possit ad efficiendum & recipiendum actum intellectus aut voluntatis, &c. & alii supra citati similiter: si denominationes illæ supernaturales sumantur ut mixtæ ex partiali denominatione subjecti & partiali formæ, quomodo ab omnibus Theologis sumuntur; quia omnes dicunt personam esse naturam rationalem informatam subsistentiâ, ubi subsistentiâ à natura rationali accipit quòd sit personalitas; & idem est de esse filium adoptivum, quia ille est natura rationalis informatam gratiâ sanctificante, ubi gratia sanctificans à natura rationali accipit, quòd sit filiatio adoptiva: idem dic consequenter de amico; concedo assumptum; sed nego denominationes illas esse adæquatè à forma, licet ab ea adæquatè, sit informare illa subjecta, quod solum, & præcisè, ex nostra resolutione sequitur: aliud enim est quodlibet recipere & denominari à quolibet, & simplices denominationes esse à simplici forma, ut contendimus; aliud denominationes mixtas esse à qualibet simplici forma; quod ex nostra resolutione malè inferitur, imò non habentur denominationes illæ, nisi à forma mixta: unde in his & similibus, semper attendere debes, quam velint Theologi esse denominationem supernaturalem mixtam, quam simplicem, & simplex in quolibet subjecto, per quamlibet formam admitti debet, mixta, neutiquam. Sed pro complemento,

LXXV. Petes quædam denominationes supernaturales sint mixtæ, & quæ simplices, sive quænam sint à forma præcisè, & quæ à forma & subjecto simul.

LXXVI. Respondeo 10. esse difficile quidem in eo certam regulam statuere; sed similis difficultas omnino adversarios nostros urget v.g. quænam proportio requiratur ut forma effectum suum formalem & denominationem tribuat subjecto: ad id Respondet P. Comptonus loco citato, requiri, ut forma petat tale subjectum: sed ni fallor, id est omnes formas supernaturales facere naturales; quod malè

etiam
s, si
ecies
scin-
di
auf
icari

in

ft in-
jun-
cur-
alio-
tio-

mo-
ten-
cu-
trin-
lina-
ob-
li in
enti-
s fe-
Dei
a fe-
pen-
du-
dia-
um.

po-
ten-
liter
erur
do-
ma-

um,
is de
tua-
a est

po-
nio-
ine,
Disp.
foi-
tum

affi-
atu-
(ut
a re-
in-
sub-
reci-
atur
quia
tem
cum
n est
inde

malè audit; quia illa forma est naturalis, quæ à suo subiecto exigitur & exigit esse in subiecto isto; omnes autem formæ supernaturales, quæ habent proportionem requisitam ad hoc, ut suum effectum formalem & denominationem tribuant subiecto, exigunt tale subiectum; & exigere tale subiectum, & exigi à tali subiecto realiter unum sunt, sicut actio & passio; nec tamen apparet quid solidius respondere possit: quare ad quæstionem nostram aliter

LXXVII. Respondeo 2º. denominationes illas supernaturales esse essentialiter mixtas, quibus naturales correspondentes, in naturalibus mixtæ censentur, & quibus minùs proportionata naturalis à Philosophis & Theologis non agnoscitur: simplex autè essentialiter, quibus minùs proportionata naturalis à Philosophis agnoscitur: Ratio est, quia ista ad cõmunè loquendi modum & auctoritatem spectant; nec est ratio negandi denominationem aliquam supernaturalem simplicem, si simplex naturalis minùs proportionata agnoscatur; quia perfectio, quæ imperfectiori, & naturali tribuitur, à fortiori supernaturali tribui potest, ut supra ostensum est: è contra autem non est ratio, dum communis reluctatur Theologorum & Philosophorum auctoritas, dicendi denominationem aliquam supernaturalem esse simplicem, si naturalis simplex minùs proportionata non agnoscatur. Hinc autem

LXXVIII. Sequitur 1º. lapidem à gratia rectè dici supernaturaliter gratum Deo; à visione supernaturaliter videntem Deum; quia lapis ob qualitates corporeas naturales rectè dicitur gratus homini, & amatus ab homine: si sic, à fortiori ob gratiam supernaturalem in eo intrinsicè receptam, quod fieri posse admittunt omnes Auctores supra citati, dici potest gratus homini, amatus ab homine, &c. & idem est de Deo: deinde, quod ad esse videntem Deum attinet, sicut materia prima lapidis, rectè, post mutationem, dicitur animata animà spirituali ob animam rationalem, quam intrinsicè recipit; ita à fortiori lapis ob visionem supernaturalem in eo intrinsicè receptam, quod fieri posse etiam admittunt, dici potest videntem supernaturaliter Deum. Et hinc loquere proportionaliter de aliis imperfectioribus denominationibus; quia, dum vis imperfectioris esse, denominare subiectum improprium, imperfectio ista imperfectioribus tribui potest, si perfectiori tribuatur: unde si illæ denominationes in naturalibus sunt essentialiter simplices, ut omnes fatentur, igitur & in supernaturalibus hæc à fortiori erunt simplices, sensu n. 74. dato.

LXXIX. Sequitur 2º. lapidem à gratia, aut charitate, in se intrinsicè recepta; à personalitate vel potiùs subsistentia, quam terminaret, non rectè dici amicum Deo, Filium Dei adoptivum, &c. quia lapis ob nullas qualitates naturaliter dicitur amicus homini, filius adoptivus hominis, &c. eò quòd in rigore *ly amicus, filius*, &c. in naturalibus, juxta communem consensum Philosophorum & Theologorum, personas supponat; persona autem, juxta eundem consensum, est natura rationalis subsistens; unde hæc denominationes in naturalibus sunt essentialiter mixtæ, igitur & in supernaturalibus.

LXXX. Objicies 2º. *quidquid recipitur ad modum recipientis recipitur*, ergo forma debet esse proportionata subiecto in quo recipitur.

LXXXI. Respondeo illud Axioma non posse

contra nos urgeri: quia alioqui, neque materiale in partiali subiecto spirituali, neque spirituale in materiali, ut anima rationalis in corpore; neque accedens in substantia recipi posset; unde hujus Axiomatis est similis sensus, sensui hujus Axiomatis, *modus operandi sequitur modum essendi* (de quo præcedente Dubio) videlicet, *quidquid recipitur ad modum*, id est, ad existentiam recipientis, saltem concomitanter positam, *recipitur*.

RESOLUTIO III.

LXXXII. Dico 3º. in quolibet causà efficiente datur potentia activa obedientialis ad producendum quemlibet effectum, non alligatum essentialiter determinatæ causæ efficienti: ita cum D. Thom. Suarez tom. in 3. p. ad q. 13. Dis. 31. sect. 5. tom. 3º. in 3. p. Dis. 9. sect. 1. Metaph. Dis. 43. sect. 4ª. Molina. Valentia. Rup. Præpos. Hurtad. in Phys. è Societate. ex aliis autem Cajet. Sotus, Paludanus, Capreolus, Hervæus, Ferrar. &c. contra alios Thomistas, & Scotistas, communius, Vasquez & plures alios è Societate, ut Raguifam, Alarcon, &c.

LXXXIII. Probatur 1º. quia majus obstaculum, quod adferri potest, est, quòd effectus spiritualis à causà efficiente materiali, & effectus materialis à causà efficiente spirituali produci non possit: sed contrarium est verum, ergo, &c. Probatur minor, phantasma materiale simul cum anima intellectio-nem spirituales, & anima spiritualis simul cum sensibus sensationes materiales, naturaliter & secundum potentiam naturalem produciunt, ergo à fortiori supernaturaliter & secundum potentiam obedientialem, etiam se solis, alios effectus materiales & spirituales non vitales producere possunt.

LXXXIV. Probatur 2º. in intellectu datur potentia activa obedientialis ad producendam visionem beatificam; in Sacramentis novæ legis, quæ sunt materialia, ad producendam gratiam sanctificantem, quæ est spiritualis; ergo à fortiori ad producendos alios effectus ignobiliore.

LXXXV. Confirmatur 1º. Conclusio, potentia cujullibet activæ duplex est capacitas; una naturalis; supernaturalis alia; naturalis solà experientia dignoscitur, ut omnes fatentur; supernaturalis autem ex non repugnantia ad illos vel illos effectus colligi debet: sed non repugnat dari in quolibet causà efficiente potentiam activam obedientialem ad producendum quemlibet effectum: ergo, &c. Probatur major pro secundâ parte; quia certum est apud omnes majorem esse capacitatem supernaturalem activam, quàm naturalem; & cum illa per experientiam cognosci non possit; non est unde melius cognoscatur, quàm ex non repugnantia extensionis, &c. quæ cum sit in possessione, sive cum constet esse in rebus, ad omnes extendi debet, in quibus positivo argumento non ostenditur extensio repugnare; ac proinde ad omnes non alligatas, &c. in quarum nullis positivo argumento ostenditur extensio repugnare, ergo, &c.

LXXXVI. Confirmatur 2º. in quolibet subiecto datur potentia passiva obedientialis ad recipientem quemlibet formam non alligatam essentialiter determinato subiecto, ergo & in quolibet causà efficiente datur potentia activa obedientialis ad producendum quemlibet effectum non alligatum essentialiter determinatæ causæ efficienti.

Objicies

LXXXVII. Objicies 1^o, non datur potentia obedientialis activa, nisi ad illos effectus, ad quos causa efficiens habet aliquam inchoatam proportionem; sed in qualibet causa efficiente non est inchoata proportio ad quemlibet effectum, ergo, &c. Probat minor; quia ideo intellectus assumi potest secundum potentiam obedientialem ad videndum Deum, & non lapis; quia habet proportionem inchoatam ad videndum Deum, & non lapis; ergo, &c.

LXXXVIII. Resp. 1^o negando minorem; nam dicimus potentiam obedientialem inadæquatè & secundum quod dicit in recto identificari cuilibet causæ efficienti; ac proinde quamlibet causam efficientem habere aliquam inchoatam proportionem ad quemlibet effectum. Ad probationem minoris, Resp. tam lapidem, quam intellectum habere proportionem inchoatam ad videndum Deum; ac proinde tam posse secundum potentiam obedientialem assumi ad videndum Deum, quam intellectum; vel assignetur ratio quare intellectus habeat proportionem inchoatam ad videndum Deum, & non lapis; assignari enim non potest 1^o, quod intellectus sit potentia vitaliter operativa, & lapis talis non sit, nec talem habeat; quia gustus, auditus, tactus, &c. sunt potentia vitaliter operativæ, & secundum adversarios non habent proportionem inchoatam ad videndum Deum; assignari non potest 2^o, quod intellectus sit potentia visiva intellectualiter, & lapis talis non sit, nec talè habeat; quia in primis intellectus secundum potentiam naturalem fortè non est potentia visiva intellectualiter, nisi mediis sensibus, qui secundum adversarios non habent proportionem inchoatam ad videndum Deum; deinde intellectus solùm est potentia visiva intellectualiter secundum potentiam naturalem, solùm per visionem intellectivam naturalem, &c. visio verò intellectiva supernaturalis in substantia, utpote ens unum & objectivè indivisibile supernaturale, nihil habet intrinsecum commune (ut probatum est Disput. 2^a Log. Tra. 1^o. Dub. 5^o.) cum visione intellectivâ naturali in substantiâ; unde intellectus spectatus secundum potentiam naturalem, tam est ad illam improporcionatus, quam lapis; deniq; licet intellectus sit potentia visiva intellectualiter secundum potentiam naturalem; hæc tamen non magis requiritur ad producendam visionem beatificam secundum potentiam obedientialem, quam requiratur potentia visus generativa secundum potentiam naturalem ad restituendum visum cæco nato, quem Christus in probabiliiori sententia restituit per lutum.

LXXXIX. Adde revera non esse minorem inchoatam proportionem in lapide ad visionem beatificam, quam sit in aqua ad gratiam sanctificantem producendam; sed in aqua est sufficiens proportio, ut ipsa secundum potentiam obedientialem producat efficienter Physicè gratiam sanctificantem, in probabiliiori sententia; ergo & in lapide, ut producat visionem beatificam. Ex his

xc. Colliges 1^o supernaturaliter lapidem posse assumi ad vitam & beatitudinem, non secus ac homo potest, licet hoc inter utrumq; semper intersit discriminis, quod homo habeat esse naturale vivens sensitivum rationale, ac proinde secundum naturam omnino nobilior, quam lapis; nam sicut omnino fit, ut duo secundum gratiam inæqualiter eleventur, & quod ignobilius magis elevetur à Deo, quam nobilior, ut aqua baptismalis ad producendam gratiam, præ brutis; ita fieri potest, ut lapis secundum

gratiam & potentiam obedientialem à Deo supra hominem elevetur; vitam supernaturalem habeat, ubi homo naturalem tantum; gratiam sanctificantem aut visionem beatificam recipiat, &c. ubi homo illis caret. Quod verò Deus elegerit hominem secundum potentiam obedientialem suam ad gloriam, & non lapidem, beneficium est gratiæ, & non naturæ, prout omnes tenentur respondere ad id quod absque prævisis meritis unum hominem prædestinavit ad gloriam, alterum non: sicut enim potest Deus sine ullo absurdo hominem non creare & creare creaturam inanimatam, licet ignobiliorem; ita & sine absurdo potest hominem secundum potentiam obedientialem ad vitam supernaturalem & gloriam non assumere, & lapidem creaturam inanimatam, licet ignobiliorem, secundum potentiam obedientialem ad vitam supernaturalem & gloriam recipiendam assumere.

xc i. Colliges 1^o contra Theologos communius, oculum corporeum posse secundum potentiam obedientialem à Deo assumi ad videndum Deum; de quo nos in Theologia ex professo.

xc ii. Instabis ex P. Vasquez 1^a. p. Disp. 176. c. 4^o. si quælibet causa efficiens haberet aliquam inchoatam proportionem & virtutem inadæquatam ad quemlibet effectum, posset illi conjungi causa alia secunda naturalis v. g. ignis aquæ, ex cujus conjunctione naturaliter posset aqua in se producere calorem; imò & formam ignis, & sic de aliis effectibus in substantia naturalibus; sed hoc est absurdum, ergo, &c. major patet, quia ignis absque conjunctione cum aqua potest calorem, aut formam ignis, in aqua producere, igitur & simul cum virtute, quam habet aqua ad similem productionem: probatur minor, quia aqua (& sic de aliis) haberet virtutem innatam sui destructivam, ergo, &c.

xc iii. Resp. distinguendo majorem, (quam P. Ovidius Physicæ contr. 9^a. puncto 7^o, dicit magni momenti sibi visam, utpote à tanto magistro excogitam;) si quælibet causa, &c. posset illi conjungi causa alia secundum potentiam naturalem, ita ut cum illa faceret potentiam obedientialem, nego majore; quia potentia obedientialis non est entitas rei, sive rei innata virtus conjuncta cum qualibet causa, sed conjuncta cum sola concausa naturaliter, & citra concursum Dei indebitum, illi non conjungibili; quia concausæ naturaliter conjungibiles, nõ faciunt potentiam obedientialem & supernaturalem, ut omnes fateri tenentur, sed naturalem tantum: ita ut cum illa faceret potentiam naturalem tantum, quia illa esset ipsi conjungibilis naturaliter, concedo majorem: ad minorem, quæ cum suâ probatione est juxta mentem P. Ponci, nego id esse absurdum; ad ejus probationem verò Resp. non esse absurdius aquam habere inchoatam virtutem innatam sui destructivam, quam hominem habere completam, uti revera habet, cum possit variis modis se corrumpere & destrui: deinde, numquid calor naturalis eadem virtutem habet, cum agendo in alimentum fortius destruitur? denique, numquid quodlibet ens habet virtutem corruptibilitatis completam passivam? igitur & inchoatam activam habere potest.

xc iv. Adde eadem ratione, quæ admittunt Vasquez, Ovidius, Poncius, &c. inchoatam & innatam virtutem in intellectu ad visionem beatificam, & in voluntate ad amorem in substantia supernaturalem; debere admitti consequenter inchoatam & innatam virtutem in aqua, imò & in frigore, ad produ-

producendum calorem & ignem; quia eadem est improportio intellectus ad istam visionem, voluntatis ad istum amorem, &c. quæ aquæ & frigoris ad calorem: nam naturale, quale sunt intellectus & voluntas; & supernaturale indivisibiliter objectivè, quale sunt visio beata, amor, &c. nō minùs inter se in ratione principii & effectus improportionantur secundum potentiā naturalem, quàm aqua & ignis, aut calor & frigus, imò magis improportionantur; quia hæc possunt in gradu remisso esse ab eadem causa passiva naturali, non autem visio beata, amor, &c. deinde quæ major est intrinseca proportio caloris cum forma substantiali ignis, quàm formæ aquæ aut frigoris cum eadem formā? sicut enim forma ignis se totā distinguitur à frigore, ita & à calore; in calore tamen respectu formæ ignis ferè omnes cognoscunt inchoatam & innatam virtutem, quidni igitur consequenter & in frigore respectu formæ ignis? licet minor sit, eò quòd per sibi simile passum ad formam ignis non disponat, uti calor, propter quod calori tamquam instrumento attribuitur productio formæ ignis, non verò aliis accidentibus. Ex his corruunt duæ primæ probationes P. Poncii. Et

xcv. Patet ad fundamentum, quo unico P. Ovidius contra nos suam conclusionem probat; videlicet, nullum esse fundamentum ad concedendum aquæ virtutem inchoatam & innatam ad producendum Angelū: quæro enim an sit major in aqua ad gratiam sanctificantem; in luto ad producendum visum in cæco nato; in intellectu ad visionē beatificā; in semine ad animā nostram, quod Fromondus de An. l. 4. c. 3. a. 1.º. Ad probationem verò, quæ id probat post Valquez, videlicet, quòd in effectibus ita producendis nullum sit prædicatum, ratione cujus exigant contineri in virtute obedientiali cujuslibet creaturæ, sicut est in actu supernaturali vitali vitalitas, ob quam exigat produci à vita in actu primo. Peto mihi assignari prædicatum in visu correspondens luto; in gratia correspondens aquæ; in semine correspondens animæ nostræ; imò & in visione beatifica correspondens intellectui; quod enim dicit in visione beatifica & similibus actibus supernaturalibus esse vitalitatem, ob quam respondeant intellectui, & exigant produci à vita in actu primo; verum est, si intellectus & vita in actu primo considerentur secundum potentiam obedientialem; falsum si considerentur secundum potentiam naturalem; quia intellectus & vita in actu 1.º utpote entia intrinsecè indivisibiliter naturalia, nihil habent intrinsecè simile entibus indivisibiliter supernaturalibus; unde actus vitalis in substantia supernaturalis non exigat produci nisi à causa efficiente secundum potentiā obedientialem vitaliter operante, à vita in actu primo potentia obedientialis, &c. qualia sunt omnia entia conjuncta cum qualitate intrinseca indebita ad id ipsa elevante, aut cum auxilio Dei extraordinario & indebito; quomodo quodlibet ens non solum eis secundum unum prædicatum, aut formalitatē unam, sed secundum se totum, terminativè & efficienter respondet.

xcvi. Objicies 2.º, ex P. Poncio post alios, non repugnat quòd Deus creet aliquam creaturam, quæ sit ita limitatæ virtutis, ut non possit omnes effectus producere; & id videtur cedere in majorem perfectionem Dei; ergo, &c.

xcvii. Difficilis objectio (inquit Arriaga,) in qua contra nostram sententiam forma nostri argu-

menti retorquetur; sicut enim ego argumentor: Possunt omnia entia elevari; quia ex eo quòd elevarunt non sequuntur duo contradictoria; sic retorquetur argumentum: Non sequuntur duo contradictoria; ex eo quòd producatur una creatura, cui hoc repugnet. Respondeo tamen (inquit) hic esse duas quasi contrarias partes, quarum una dicit, Non sequuntur duo contradictoria, ex eo quòd non possit Deus elevari: altera dicit, Non sequuntur duo contradictoria ex eo quòd Deus possit, &c. in hac enim (subdit) controversia, quamdiu nobis non constiterit de repugnantia, tenemur inclinare ad partē, quæ auget omnipotentia Dei, & dicere, si neque in eo, quòd non possit, video duo contradictoria, neq; etiā video in eo quòd possit, dico Deum posse, quia hoc est magis dilatare omnipotentiam Dei. Ita ille Physic. Disp. 11.ª. Sect. 4.ª. Sed

xcviii. Contra, Arriaga hic supponit falsum, videlicet augeri omnipotentiam, ex eo quòd non repugnet omnia elevari; minui verò ex eo quòd repugnet omnia elevari, sic ut aliqua tantum possint, aliqua non possint; quod est aperte falsum, 1.º, quia hoc casu omnipotentia Dei habet idem objectum, quod illò, scilicet omne possibile elevari. 2.º, quia juxta secundum casum omnipotentia Dei extendi poterit ad creaturas secundum potentiam obedientialem elevabiles, & non, ad non elevabiles, juxta 2.ºm non nisi ad elevabiles, quæ non sunt plures, nec diversi generis, sicut illæ: 3.º, prius judicandum de possibilitate & non repugnantia, impossibilitate & repugnantia objecti, &c. quàm de augmento & diminutione omnipotentia Dei; nam illa extendi non potest ad impossibilia & repugnantia: & non extendi ad possibilia, & non repugnantia, admittit igitur non repugnare aliquam creaturam non elevabilem, &c. si dicat omnem esse elevabilem, ergo non auget omnipotentiam, sed minuit, quia de objecto omnipotentia illam creaturam non elevabilem, tollit. Quare aliter

xcix. Respondeo negando antecedens, intellectum de effectibus non alligatis essentialiter determinatæ causæ, pro prima parte; ratio autem repugnantia sumitur ex eo, quòd illi effectus essent ens non alligatum essentialiter determinatæ tantum causæ, & non essent; possent produci secundum potentiam obedientialem à qualibet causa, &c. & non possent: essent quidem ens non alligatum, &c. ut supponitur, & non essent ens non alligatum, &c. quia non possent secundum potentiam obedientialem produci à qualibet causa, &c. quod tamen omnino pro ea parte qua potentia obedientialis est intrinseca rei, est innatum cuilibet enti nō alligato essentialiter determinatæ causæ, ut constat ex omni generis entibus, quæ cognoscimus; potest enim substantia elevari ad producendum accidens & è contra; corpus ad producendum spiritum & è contra: naturale ad producendum supernaturale in substantia & è contra, & sic de aliis; vel dent nobis rationem, cur ad hæc extendatur potentia obedientialis, non autem ad alia plerumque magis proportionata: ex illis autem manifestè deducimus quodlibet ens non alligatum essentialiter determinatæ causæ posse secundum potentiam obedientialem, produci à qualibet causa; si enim ab istis, quidni ab aliis.

c. Adde ex dictis supra Dub. 3.º. quædiu dubium est an res aliqua sit possibilis an impossibilis, dici debere esse possibile, si post debitū & prudens examen rationes oppositæ solvi possint (quod hic fit.)

DUBIUM V.

Quid Conservatio, & à quo Substantia & accidentia conserventur.

RESOLUTIO I.

CI. Dico 1^o, conservatio est continuata rei productio, sive permanentia rei in esse: unde qui rem in esse continuat, rem conservare dicitur: sed cum res in esse dupliciter continuari possit: 1^o, directè per veram continuatam productionem: 2^o, indirectè per remotionem impedimentorum ad continuandam veram productionem; fit ut conservatio assignetur duplex, directà scilicet & indirecta: indirectè conservat, qui removel dicta impedimenta & causas corruptionis, ut qui ventum impedit, indirectè lumen candelæ conservare dicitur; directè verò conservat, qui per veram actionem rem in esse continuat, sic ignis suum calorem, anima suos actus directè conservare dicitur.

RESOLUTIO II.

CII. Dico 2^o, tam substantiæ, ut animalia, plantæ, &c. quam accidentia, ut qualitates, ubicationes, &c. toto tempore quo durant directè & substantificè conservantur ab illis omnibus causis, à quibus primò productæ sunt.

CIII. Probatur 1^o, tam substantiæ, quam accidentia, toto tempore quo durant, directè & substantificè conservantur per suam conservationem; sed conservatio non distinguitur realiter à prima rei productione, ergo, &c. major patet: Probatur minor; quia est realiter idem effectus conservatus & primo productus, ergo & realiter eadem actio conservativa, & primò productiva; ac proinde conservatio non distinguitur realiter à prima rei productione: antecedens hoc patet: Probatur consequentia; quia actio, tam est permanens, quam effectus, nec est major necessitas multiplicandi actiones, quam effectus; ergo, &c.

CIV. Nec dicas esse majorem necessitatem multiplicandi actiones, quam effectus; quia effectus remanent pereuntibus causis primò producentibus, eò quòd illis, uti actiones, non alligentur essentialiter, nec se habeant ad illas, ut modi ad modificata: ne id dicas (inquam,) quia actiones, ita quidem alligantur essentialiter causis primò producentibus, ut ab aliis esse non possint, quia sunt illarum ultima & actualis determinatio ad agendum; non ita tamen illis alligantur essentialiter, quin sine illis, toto tempore quo durant existentibus, in esse permanere possint uti effectus: quòd verò ad illas se habeant ut modi ad modificata (puta extrinseca) nihil refert; quia modus potest existere sine modificato extrinseco; ac proinde actio sine causa primò producente; pro quo vide supra Disp. 3^o. Dubium primum.

CV. Nec instes, hinc fore ut principium quo non existens, sit producens; sed hoc est absurdum, ergo, &c. probabis minorem; quia absurdum est effectum non existentem esse productum, ergo & principium quo non existens esse producens.

CVI. Respondeo negando minorem, ad ejus probationem concesso antecedente, nego consequentiam; est enim disparitas, quòd productio sit ultima & actualis determinatio ad existentiam effectus, pro toto tempore, quo est; alioqui ad esse conservationem effectus quoad existentiam, deberet

per aliud determinari, quòd esset ultima & actualis determinatio ad existentiam effectus pro toto tempore quo est, vel non? si sic, quidni idem dicitur de productione; si non, ergo ad esse ulteriorem effectus quoad existentiam conservationem, deberet per aliud determinari, de quo idem quærerem, & sic in infinitum: non est verò ultima & actualis determinatio ad existentiam causæ, sed illam priorè natura supponit, potestque conservari sine illa; quia supposito, quòd jam sit determinata ad existere per primum esse, à causa existente acceptum, est consequenter determinata ad conservari, quamdiu durat effectus ad quem terminatur, utpotè hujus & sui ipsius permanens conservatio: cur enim potius debeat effectus conservatio esse successiva, quam ipse effectus, & non permanens? non apparet.

CVII. Nec urgeas, unio non potest existere sine duobus extremis, ergo nec actio sine causa & effectu.

CVIII. Respondeo negando consequentiam; est etiam disparitas, 1^o quòd unio sit intrinseca utrique extremo, saltem tamquam termino intrinseco; non ita verò actio (puta transiens) suæ causæ. 2^o quòd unio sit duorum extremorum existentium ultima determinatio ad uniri, alioqui ad hoc ut duo extrema existentia uniret, deberet per aliud determinari, ex quo sequeretur processus in infinitum, ut manifestum est. Dixi duorum, cur enim unius, potius quam alterius? revera si unio sine alterutro extremorum existere posset, posset sine utroque, quòd nullus admiserit.

CIX. Confirmatur, 1^o Resolutio, alioqui ubi causa, etiam partialis, primò producens, aut alia similis virtutis, est absens, aut desinit, continuo ad Deum recurrendum est pro conservatione effectus; sed nulla est istius recursus necessitas, & Physicum non est ad Deum sine necessitate recurrere, ergo, &c. Probatur minor pro prima parte, quia tota necessitas, quæ adferri potest, consistit in argumentis jam solutis.

CX. Confirmatur 2^o, sint contigua duo calida ut quatuor: vel se mutuo eodem indivisibili instanti conservabunt quoad tres gradus, prout habent virtutem producendi tres gradus, & illos primò producerent, si non essent primò producti, imò non est ratio cur unum conservet aliud, & non aliud ipsum: vel (ut vult P. Ovidius Physicæ Disp. 12^o. puncto 4^o) debet Deus alterum ad id determinare: vel utrumque conservare solus: sed hæc duo postrema, utpote in naturalibus currentia ad Deum sine necessitate, non sunt Physica; & primum admittit naturaliter mutuam causalitatem effectus & causæ efficientis in eodem indivisibili instanti, contra omnes, ergo, &c. Ex his

CXI. Colliges productionem & conservationem entitative non differre, sed solo connorato; eò quòd prima productio respiciat primum esse, conservatio illud præsupponat, & secundum respiciat; non ideo tamen conservatio est reproductio; quia, hæc ex communi acceptione præsupponit 1^{um} esse destructum; nisi supponatur alibi, per miraculū aut eo concomitante remanere, ut in corpore Christi contingit; conservatio primū esse permanens. His

CXII. Adde tamè Deū res omnes immediate conservare ut causam universalem, sicut eas immediate 1^o producit; imò licet omnes causæ res omnes 1^o producentes, res omnes non conservarent immediate, adhuc Deum debere illas immediate conser-

vare; quia præterquam quoddam alioqui eas verè & propriè non conservaret, perfectissimum dominium, quod habet in creaturas, exigit, ut eas omnes immediatè possit destruere, quando vult, sicut eas immediatè producit; quod alioqui non posset; quia immediata destructio intelligi non potest aliter fieri, quàm per subtractionem & negationem im-

mediatam productionis, sive concursus; nam concursus, sive productio cujuslibet rei, etiam contrariè, non habet non esse rei, pro termino immediato; sed esse, ut patet; ad quod nunquam sequitur non esse, sive destructio rei, nisi per immediatam subtractionem & negationem productionis rei, sive concursus ad illam, ut dictum est.

DISPUTATIO NONA.

De Fortuna, Casu, Fato & Monstro.

DUBIUM VNICVM.

Quid sint.

RESOLUTIO I.

I. **D**ico 1^o, Fortuna est effectus cause agentis ex electione, per accidens, & omnino contingenter eveniens, ut lucrum respectu ludentis, inventio thesauri respectu fodiensis.

II. Adde hominem solum absolutè dici fortunatum, propter effectum dictum alicujus momenti, & bonum: loco contingenter ponunt alii raro, sed sic non apparet, quomodo aliquis dici possit fortunatus in lucrando ex lusu, quia ludendo lucrari, non raro contingit; & qui frequentius lucrantur magis fortunati dicuntur.

RESOLUTIO II.

III. **D**ico 2^o, Casus, ut opponitur fortunæ, est effectus cause non agentis ex electione, per accidens, & omnino contingenter eveniens: ut lætio capitis ex casu tegulæ.

IV. Adde respectu Dei nihil esse fortuitum aut casuale, quia omnia, priusquam eveniant, determinatè cognoscit.

RESOLUTIO III.

V. **D**ico 3^o, Fatum à Catholicis rectè definitur, Ordo seu series causarum secundarum inevitabiliter & infallibiliter sortiturarum effectum, prout subsunt Divinæ providentiæ: ab Ethnicis verò, Ordo causarum secundarum inevitabiliter & infallibiliter sortiturarum effectum, vi sua & independentè à dispositione Divina: hoc acriter reprehendunt Sancti Patres, ob quam rationem, neque inter indoctos & simplices nominis fati (etiam Catholicorum sensu) usus esse debet; ut vel ex Augustino lib. 5^o. de Civitate Dei cap. 1^o. patet, si propterea quisquam res humanas fato tribuit, quia ipsam Dei voluntatem, vel potestatem fati nomine appellat, sententiam teneat, & linguam corrigat.

RESOLUTIO IV.

VI. **D**ico 4^o, Monstrum est Individuum animatum à solita dispositione secundarum speciem degenerans, ut homo habens duo capita, unum tantum pedem, &c.

VII. Adde, monstri causas frequentè esse, 1^o vehementem aliquam matris imaginationem: 2^o defectum, vel nimiam materiæ abundantiam: 3^o secundinæ, quæ est pellicula in qua continetur fœtus, indispotionem, &c.



TRACTA-